

lationem petitam esse suspectam ad dilatandum questionem vel non. ¶ Et si aliquis terminus locatus fuerit alicui persone, et finito dicto termino non legeretur in iure in eodem die ad quem fuerit locatus, et subsequenter in sequentibus terminis  
 195 B non legeretur, stando sic per // quindecim vel viginti dies, tunc 5  
 talis terminus dictis viginti diebus elapsis pende[a]t et legi non possit,<sup>1)</sup> nisi pars citata fuerit in placitis generalibus quod interesse debeat tali termino sic locato. ¶ Et si aliquis terminus locatus fuerit alicui ad certum diem, et ferie inciderent antequam terminus legeretur, talis terminus pende[a]t 10  
 quousque generalia placita fient, et totum tenpus feriarum sit in ipso termino, et transactis feriis, tunc ad banchum dictus terminus legi debeat. ¶ Et si in termino locato reo ad probandum pro prima secunda et tertia dilatione et in aliqua ipsarum dilationum actor produxerit capitula de novo, quod 15  
 pendente tali dilatione rei talia capitula admittantur, et testes producti super ipsis debe[a]nt examinari si infra dilationem rei iuraverint, et etiam si produxerit capitula in ultimam diem dilationis rei de novo et super ipsis fecerit iurare testes, quod ipsi testes debeant examinari. ¶ Et si aliquis advocatorum 20  
 comunis iverit pro ambaxiatore ad aliquas partes in servitium comunis, tunc omnes questiones ipsius advocati, omnium personarum quarum esset advocatus tunc temporis, et dilationes prout date fuerint in presentia dicti advocati remaneant et remanere debeant suspense in eodem statu, nec 25  
 super ipsis questionibus possit procedi usque [ad] adventum ipsius advocati. ¶ Salvis tamen dilationibus spetialibus dandis secundum formam statutorum spetialium,<sup>2)</sup> quibus per hoc generale statutum nolumus derogare.

<sup>1)</sup> *posset.*    <sup>2)</sup> *spetialibus.*